

**A**libus frigidiora existant: sicut aperte docet Galenus passim in libro de Temperamentis, & de Simplicibus medicamentis. Quod si nobis, qui præditi sumus ampliore calore, illa videntur frigida, id non ostendit, minus in esse caloris elementaris, quam frigoris, aut cœlestem aliquem inesse calorem, authorem, vel ut verius dicam instrumentum vitæ, & functionum, quæ in viventibus obeuntur, quandoquidem videmus concoctiones in alijs rebus, ab igneo, & elementari calore perfici, & nostras ab eodem iuari: adeo ut alius calor inducendus non sit, cui vitam & omnia, quæ in vita fiunt, tribuantur accepta, si animam rebus dederis, temperatus pro cuiuscunque natura ex elementis calor sufficiet ad omnia vitæ munia exercenda: sed in hoc ut dixi, videtur mihi ille deceptus, quod dum calidum illud cœleste introducere studet, non videat quid calori sit concedendum, quid vero animæ relinquendum. Aristoteles dum naturalis mortis causas quærit, non instituit docere, quid nativo calori opponatur, sed quo modo ille ætatis cursu, consumpto suo pabulo, expiret, mortisque causa fiat: quod si contrarium non habet ex inferiore hoc mundo huiusmodi calor, qui fit ut plantæ, & animalia ex vehementi acris, aut aquæ frigore pereant? Igitur si vita desinit abeunte calore: hic autem ab elementis, & qualitatibus, quæ in illis sunt, extinguitur, constat illum in hoc mundo suam habere naturam & elementalem esse, ex quo scilicet genere sumitur id, à quo perimitur. Si præterea calidum innatum fouetur, augeturque à sanguine, & spiritu influente, gignuntur autem tum humores, tum spiritus huiusmodi, ex rebus constantibus ex elementis, necesse profecto est, & illud ex eisdem constare: si quidem similia similibus nutriuntur, nec quod est cœleste, ab elementis substantiam suam sumere potest. Præterea si ex semine est calidum innatum, quomodo diuinum? si semen ex sanguine fit, oportebit quoque hunc cœlestem credere. Ita nihil in nostro corpore inuenietur quod ex elementis conficiatur. Ad hæc proponit ille calidum innatum esse insitum membris, cum spiritu tamen permeare vniuersum corpus: quod qua ratione fieri potest? si enim ex eo singulæ partes conficiuntur, & viuunt, non potest ab illis recedere, & cum spiritu, eos motus experiri. Si calidum innatum est humidum primogenium, quomodo est cœleste? Ceterum putare oleosum esse in nostris corporalibus humorem, quod illa inflammantur, non cogimur recipere. Aerea enim, quæ in rebus est pars illa est, quæ in flammam vertitur, nec alia quidem ratione oleum, & oleosa, in ignem prompte vertuntur, quam quod plurimum aeris in se contineant. Nec video quo pacto concludere velit omnia corpora, quæ inflammantur, ob huiusmodi oleosum humorem id pati, quandoquidem ligna siccissima, & tenuissima corpora, ut festuca, palea, omnium promptissime flammam concipiunt: in quibus tamen quis dicet oleosam plurimam esse substantiam, aut ex illis sinecerum oleum elici posse? Si enim res eò ardent, quod oleosam hanc materiam in se obtineant, plurimum sane oporteret in aridissimis his rebus talis humoris esse, quod nemo concedere potest: illud verò quis fatebitur? oleosum hunc humorem, cuius vires ardere concedit, proprium duntaxat esse viventibus, cum bituminosa terra, & sulphur ignem facile concipiant, luculentamque, & diuturnam flammam alant. possem multa etiam afferre contra tres illos humores, oleosum inquam, alimentarium, & aqueum, quorum nomina fingit, quorumque materiam, ab eisdem rebus duci credibilius est, quam ex diuersis. Sed qualis (quæso) erit alimentarius ille humor? postea quam in corporis substantiam mutatus erit: si eum definit esse solum, dum in occultis partium meatibus continetur, nondum in substantiam conuersus, nonne quoque præstabat eum humorem quo tanquam visco terrene partes glutinantur, oleosum, & non aqueum statuere? Hic enim effluit, ille verò tenacius hæret, & multo aptius visco comparatur. Iam verò illud quo pacto probat, oleosum humorem, tum spiritus, tum innati caloris, fundamentum esse? cur enim is magis, quam crassamentum illud, quod statuit in partibus, fundamentum huius erit caloris? Si enim quæritur aliquid, in quo ille stabilem inhærentiam habebat, non erit profecto recedendum ab eo, quod solidum, & terreum est in corpore: Calorem hunc nostrum cœlestem esse, & vim habere valentissimam qua vreret, si siccitatem haberet coniunctam, quis credere possit? Nam ideo probabat ille serpentes, & alia animalia frigida viuere, quod cœlestem, & non elementarem calorem obtinerent, tanquam velit, ideò illum cœlestem esse, quia vehemens non sit, & vnde (quæso) hanc vim vrendisumeret huiusmodi calor? an ab igne? cui soli id conceditur: illud quoque reprehendi potest, quod cum partis similis compositionem docere vult, multa dicat, quæ nulla ratione probat, sed legumlatorum more, ita esse statuatur. Ad hæc si calidum innatum est (ut ille definit) humidum oleosum insito spiritu, & calore vndique perfusum, quid ad Galenum respondebimus? qui sanguinem, & semen calidum innatum esse dicit: quid ostendit insitum quendam spiritum, esse partem substantiæ huius caloris? Nec illud quidem probare possum quod scribit, calidum innatum sumi vno modo pro pura substantia, quam solidæ partes à semine acceperunt, alio modo pro impura ex alimenti affluxu genita. Cur enim hanc impuram, aliam puram vocabimus? quandoquidem & ipsum semen, & omnia quæ in nobis sunt, ex ea materia procreantur, ex qua alimentum suggeritur. Ac si calidi innati substantia pura, ex semine ortum ducit, quo pacto illa erit, & substantia & tempore tantopere diuersa, in neruo, carne, & singulis corporis partibus? An ex semine ab eodem agente, in eodem loco, ex eadem materia confecto, potest tanta differentia reperiri? Postremo si antea nativum calorem cœlestem contendit esse, nequaquam temperabitur, aut ille, aut substantia